



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 4. Satisfit Dubiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

Post hac petentibus utrimque litigan-
tibus, vel altero, absente citato & con-
tumace, testium dicta & attestaciones lu-
dex publicat, interloquendo hoc vel si-
mili modo. Dicta testium in hac causa
publicamus, ea que pro publicatis, & a-
pectis haberi volumus facietque pote-
statem ea examinandi, & refutandi con-
stituto termino.

Nihilominus ea publicatio testium
non est de substantia processus, sed etiā
absque illa lata sententia valeat & nisi ap-
pelleetur, in rem iudicatam transit. *Gail.*
l. 1. obs. 101 Vallens. l. 2. tit. 2 §. ult. Pract.
Ferrar. §. Forma publicat. testium.

§. 4.

Satisfit Dubiu de testibus.

Dub. 1. Cur iure gentium, & positi-
vo regulariter duo testes sufficere
conferantur?

R. Duo testes cum accusatore ternari-
um constituunt, qui numerus quandā
perfectionem creditur continere, se-
cundum illud *Arist. l. 1. de Coelo. Omne to-
tum in tribus ponimus, & Eccles. 4. Funiculus
triplex difficile rumpitur.* Visum ergo est
predictum numerum testium sufficere
ad molarem certitudinem, cum maior
in humanis actibus videatur impossibi-
lit, ubi sæpè contingit, ne duos quidem
reperiri. At periculum erroris est. Idem
in multitudine timendum, & quanta-
cunque multitudo testium determina-
reatur, posset quandoque testimonium
esse iniquum, cum scriptū sit *Exod. 23. Ne
sequaris turbam ad faciendum malum.*
Nec tamen, quia non potest in talibus
infallibilis certitudo haberi, debet ne-
gigi certitudo, quæ probabiliter haberi

potest per duos, vel tres testes. Ita *S. Tho.*
2. 2a q. 70. art. 2. Bannez & Arragon. ibid.
Sanch. l. 6. Consil. c. 5. Dub. 9. Tuschus 278.

Dub. 2. Quomodo dicatur iuris
naturalis esse prædictus numerus te-
stium?

Dominicus Bannez in 2. 2a. lo. cit. pro
tertia conclusione ponit hanc. In causis
gravibus, quando agitur de condemna-
tione alicuius, iure naturæ requiritur
binarius testium: quia, inquit *D. Tho.*
discursus naturalis est, & demonstratio
moralis ex principio evidenti. Mox in
quarta conclusione ad condemnatio-
nē alicuius duos testes sufficere, probat
à posteriori, quia multæ resp. benè con-
stitutæ condemnant reos ad mortē duo-
bus testibus, quæ alias peccarent contra
Ius naturæ quæ doctrina paulo obscuri-
or est, & dilucidatione indiget, quæ *Bann.*
quoque ex *S. Tho.* subiungit. Itaque

R. Ius naturæ non uno & eodem
semper modo allegatur. Aliquando
de iure naturæ dicimus esse, in quæ Ius
naturale hominem inclinatur, puta, iniu-
riam nulli inferendam esse. Aliquando
iuris naturalis dicitur illud, circa quod
natura contrarium non determinat.
Talia sunt, hominem natura liberum
esse, quia neminem servum natura de-
signat: Item bonorum divisio: hanc
enim natura non fecit, dando huic
certam partem, alii aliam, sed arbitrio
gentium reliquit, ex quo & servitutem
& bonorum divisionem habemus. Igi-
tur binarius testium propterea iuris na-
turalis esse dicitur, qui maiorem nume-
rum Natura non determinavit, neque
tamen excludit.

Nam hodieque in quibusdam ne-
gotiis

gotiis maior testium numerus necessarius est, quemadmodum §. 1. n. 9 ostendimus. *Sotol. 3. q. 1. art. 2. Less. c. 5. Dub. 3. num. 8.*

Dub. 3. Recte nē Iudex faciat, torturæ subiiciendo eum, qui quando ad testandum tenetur, renuit?

R. Cum Iudex potestatem habeat rogandi, iubēndique, ut subditi non exempti, aut impediti, pro bono reip. & singulorum, veritati testimonium perhibeant, manifestè sequitur obligari rogatos in conscientia ad testificandam veritatem.

Nolentes ergò pœnæ reos se faciunt, quæ omnium gentium consensu corporalis est, ut quæ ad eruendam veritatem plus roboris habeat. Excessus & immanitas, quæ ut plurimum torturæ miscetur, culpari potest, res ipsa licita & laudabilis est. *Franc. Marcus Par. 1. q. 487. n. 14.* Nihilominus *Bann. l. sup. cit. testem, ait nunquam torquendum, nisi in quantum habet rationem rei, ut v. gr. si aliqui testentur, Petrum interfuisse alicui negotio, & posse testificari: tunc Petrus, nisi voluerit testificari, poterit torqueri, ut dicat veritatem, quia merito præsumitur ex malitia nolle testificari.* Cæterum Iudices attendere debent leges sibi præscriptas, ne peccent, quarum non postrema fuerit, leniora media prius adhibere, virgendo, comminando, & simil. priusquam tradatur infestis tortoribus. *V. Tuschum Conclus. 249.* ubi in particulari declarat, quomodo testes contrarii, suspecti, mendaces, & viles torqueri possint, & debeant.

Dub. 4. Caius in iudicio iniusto fal-

sum testimonium dixit, ut impediret iniustum processum, peccatne graviter?

R. Non peccat graviter ratione falsitatis, seu mendacii, cum nullum damnum inferat, imò prodesse velit. De qua re *S. Aug. in ps. 5.* Duo sunt genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa, & tamen non sunt sine culpa, cum aut iocamur, aut proximo consulendo menti mur.

Peccat tamen mortaliter ratione iuramenti, cuius in qualibet materia violatio gravis existimatur. *Bannez. q. 70. art. 4. Sanch. l. 1. de Matr. D. 57. Covar. in c. Quampv̄. de pactis. S. 1. Gabr. in 3. dist. 39. q. 2. Concl. 4. Azor. l. 1. c. 4. q. 1. Em. Sa. V. Iuramentum n. 7. Tabiena V. Iuramentum n. 11. Less. c. 42. D. 5. n. 23.*

Dub. 5. Petrus juratus testis, modò affirmat, modò negat eandem rem, utri testimonio deferendum est?

NOTA. Testis sibi ipsi contrarius est, propriè loquendo, quando duo incompatibilia dicit. *l. Optimam. C. de contrah. stipulat.* Varius, cum nulla causa assignata profert contrarium eius, quod prius dixerat. Vacillans appellatur, qui titubando, & vacillando varia, ac diversa loquitur, *l. Eos, qui Tit. de fals.*

R. Nisi animo corrigendi, quod prius affirmavit, neget, neutri deferendum videtur propter inconstantiam auctoris vel enim prima testificatio fuit vera, vel fuit falsa, si fallan non meretur fide: si vera per posteriorè negationè eliditur. *Ita specul. Fulgos. & alii quidam apud Mynsing. Cent. 2. obs. 86. l. qui falsa. Tit. de testib.*

At Bartolus existimat primæ depositioni

tionem credendum esse, quem sequitur *Imoc. Baldus, Imola & ex modernis citati à Barb. in c. sicut de testib.* Excipe causam hæresis, in quâ posteriori dicto creditur. Eandem opinionem in Camera Spirensi observari *Mynsing.* tradit, addens primam testificationem nihilominus debilitari per secundam contrariam, aded, ut ad eam roborandam non possit deferri iuramentum in suppletionem probationis parti, cum talis testis non sit omni exceptione maior. Ratio *Baroli* optima iudicio *Mynsingeri* est, quia testis pro secundâ testificatione subornatus & corruptus ab adversa parte præsumitur. Vnde sequitur, primum testimonium censei verius, aliâs foret in potestate testis annullare dictum suum, & tollere ius acquisitum parti.

At contra opponi potest, cur non præsumitur secundum testimonium esse prolatum maiori cum consideratione, & prudentiâ secundum illud *de leg. 2. §. 1. §. 1. §. 2. §. 3. §. 4. §. 5. §. 6. §. 7. §. 8. §. 9. §. 10. §. 11. §. 12. §. 13. §. 14. §. 15. §. 16. §. 17. §. 18. §. 19. §. 20. §. 21. §. 22. §. 23. §. 24. §. 25. §. 26. §. 27. §. 28. §. 29. §. 30. §. 31. §. 32. §. 33. §. 34. §. 35. §. 36. §. 37. §. 38. §. 39. §. 40. §. 41. §. 42. §. 43. §. 44. §. 45. §. 46. §. 47. §. 48. §. 49. §. 50. §. 51. §. 52. §. 53. §. 54. §. 55. §. 56. §. 57. §. 58. §. 59. §. 60. §. 61. §. 62. §. 63. §. 64. §. 65. §. 66. §. 67. §. 68. §. 69. §. 70. §. 71. §. 72. §. 73. §. 74. §. 75. §. 76. §. 77. §. 78. §. 79. §. 80. §. 81. §. 82. §. 83. §. 84. §. 85. §. 86. §. 87. §. 88. §. 89. §. 90. §. 91. §. 92. §. 93. §. 94. §. 95. §. 96. §. 97. §. 98. §. 99. §. 100.* Fortè occurrit aliquid, quod antè latebat, fortè præventus tempore minus venit ad iudicium præparatus. Nihilominus, quia iuratus dixit etiam prima vice, præsumitur non facturum fuisse, nisi rem satis cognitam, & perperam haberet. v. *Mench. Casu 108 Tusch. Concl. 37.* ubi declarant prolixè, quænam fides debeatur aliud extra, aliud intra iudicium testificanti.

Adde *Franc. Mercur. Par. I. q. 481. num. 7. & 8. Fachinæum l. 9. cap. 85. Dub. 6.* Tuius ignorat verum esse, cuius ego illum cupio testem fieri, licetne mihi illum instruere?

R. *Card. Lugo Disp. 39. sect. 3. numer. 19.*

licere allatis indicis & argumentis ostendere illi veritatem, quâ percepta fiat idoneus testis etiam præstito iuramento. At quo modo testimonium dicturus est, an quod à me audierit? Rectè, & verè, sed ad probandum inutile, cum sit de crudelitate tantum: an quod viderit, vel alio sensu immediatè perceperit, quod omninò iudex expectat? absit hoc, quia falsum. Faciatur in materia tali dicendum testimonium, quæ corporeis sensibus non subiicitur, puta, Antonium esse præstanti ingenio præditum, multarum opum dominum esse, & simil. In tali eventu si ratione aliqua intrinseca nititur assertio, licebit adferre: si verò nulla sit præter auctoritatem instructoris sui, à iudice requisitus, ab alio se didicisse fatebitur propter religionem iuramenti.

Dub. 7. scio me non esse hæredem institutum, Caius autem existimat esse, nunquid suadere illi possum, ut idiplum de me testetur?

R. Non posse, aliâs si Caius falsò putaret Petri equum suum esse, potero similiter suadere, ut illum sibi vendicat. At ponamus, me verò hæredem scriptum esse, desiderari tamen circumstantiam aliquam, sine quâ adire non possum, licetne impellere Caium, ut de eâ testetur secundum conscientiam suam dictamen à parte rei falsum? Licere docet *Petrus Hurtado, & Diana*, quia nihil illicitum est, sed licitum & sanctum, ut nimium iuret Caius, quod credit verum esse: nec ulli iniuria fit, quia supponitur, me verum hæredem esse & obstare aliquid, quo minus consequatur hæreditatem.

N

Dub.

DVB. 8. Falsum testimonium dixit Sempronius, sed mero errore, & ignorantia inculpabili, ad quid tenetur?

R. Teneri ad revocandum, si damnum ex eo impendet, & fore utilem revocationem sperat, sibi que minime nocivam. Dubitas, an ex charitate tantum? Affirmant aliqui apud Sanchez l. sexto Confil. cap. tertio. Alii vero simul ex iustitia teneri censent. Nimirum ex dicto ipsius quamvis inculpato infamatus est innocens. Sicut ergo qui detinet alienum, etiam inculpabiliter, ad restitutionem tenetur, ita etiam, qui testimonio suo alterius famam laedit. Vtrum sequaris non interest quod neutro modo compensare damnum illatum tenetur,

Dixi teneri ad revocandum, non vero simul ad compensanda damna, quia licet contra iustitiam peccasset, ex ignorantia nimirum, & non lethaliter, ad restitutionem damnorum non obligaretur, eo quod eiusmodi damna fortuito illata censentur, & venialiter peccantes contra iustitiam ex damno illato ad restitutionem non teneantur. Lesius c. 7. D. 6. & ca. 30 Dub. 7. Caiet. qu. 70. a. 4. Pet. Nau. l. 2. c. 7. Fil. Tract. 40. c. 8. num. 253. Sanchez. 6. Conf. 6. 3. D. 21.

Dub. 9. Vtrum in praedicto caso Sempronius teneatur ad restitutionem famae innocentis etiam cum periculo vitae suae?

R. Non teneri. Neque enim tenetur ex delicto, ut supponimus, neque ex contractu, sed alia minori obligatione curandi scilicet ne ex actione sua alius damnum patiat, si absque magno damno proprio fieri queat; ut Cardina. Lugo docet

Disp. 39. sect. 3. n. 27. Atque hic applicari potest illud. Vnusquisque magis tenetur consulere vitae suae, quam alienae cum periculo suae. Quod tamen non habet locum in illo, qui sciens volens falsum testimonium dixit. Talis enim omnium damnorum directe causa efficax est, ac proinde obligatur cum pari damno suo avertere alienum, si possit, ne innocentis conditio deterior sit, quam nocentis. Sily. v. Detractio. n. 5. Molin. To. V. De iust. Tr. 4. Disp. 40. n. 2. & 3.

Dub. 10. An reus licite possit teli obicere crimen ad repellendum ipsius testimonium? Dubium hoc Dominicus Bannez quinque conclusionibus resolvit. Prima est, falsi criminis obiectio nunquam licita est. Secunda veri quoque, si non conducit ad repellendum testimonium. Tertia, testificanti contra me falsum, licet obicere verum, sive manifestum, sive occultum. Quarta. Item licet, si testis deponat verum, sed contra ordinem iuris. Quinta. Etiam veridicis testibus, & ordinem iuris servantibus licet opponere crimen verum, quamvis occultum, dummodo probari queat, & ad repellendum testimonium utile sit. Ratio communis est, quia permittitur cuilibet legitima sui defensio. Damnum inde proveniens sibi imputet testis, quia quod aliis paravit, ipse patitur. S. Tho. q. 69. art. 2. Sily. V. restitutio §. 3. q. 3. Petr. Navar. c. 4. n. 349. Mart. Navar. c. 18. n. 49. Lesius c. 31. dub. 2. Malderus tract. 6. c. 3. dub. 2. Cardin. Lugo disp. 40. sect. 2. n. 21. Cotinus in summa Diana V. Reus calumniatus n. 9.

Dub. II. An testi liceat petere aliquid, & accipere pro testimonio ferendo?

ferendo? Suppono propter laborem itineris, & expensas ideo factas perire, accipere posse, quantum æquitas postulat, ut se indemnem seruet, etiam propter testimonium falsum. Quamvis enim de eo pacisci non liceat, post factum tamen recepi merces & retineri potest, ut in simili de sicariis, scortis & similibus dici solet. Quoposito.

R. Non licet testi petere vel accipere aliquid pro testimonio veritatis, vel ut verum testimonium dicat. Ratio, quamvis enim non temper ex iustitia teneatur quis testari, si tamen velit, ex iustitia veritatem testari debet. Melius *Lugo disp. 39. sect. 3. n. 23.* probari existimat ex eo, quia testimonium verum ex se non est pretio æstimabile. Nam si præcindas ab itinere, labore, & expensis ita veritatis manifestatio non est laboriosa, nec pretio digna. *c. non sane 14 q. 1. Archidia. Silv. V. Testis n. 8. Less. c. 14. n. 65. Menoch. Casu 310. Fernand. in exam. c. 119. ad 8. prac. p. 330.*

Hinc sequitur, ea quæ testis propter veritatem dicendam accepit, illi qui dedit, & pro quo testatus est, restituere obligatum esse, quia illi & alteri nemini ad testificandam veritatem tenebatur, intellige, si ex iustitia debebat pro eo testificari. Nam si ex charitate tantum, non tenebitur in foro conscientie ad restituendum, nec actio dabitur ad repetendum, ut *Bannez distinguit q. 70. art. 4. Silvest. V. testis n. 10. Armilla cod. n. 11. Tolet. l. 5. c. 59. n. 7. Coton. in sum. Diana V. testis rum, 6.*

Dub. 12. Antestis quod in iudicio semel testatus est, revocare velens audiri & admitti debeat?

R. Admittendum esse, si ex iudicis appareat, eum non levitate animi aut perturbatione, nec prece, lusingione, aliove illicito modo inductum corrigere, vel revocare, etiam in crimine hæresis. Ita *Delrio, Layman*, cum aliis multis, qui probari autumant ex *c. sicut de testib.* quo in loco tamen non de testium, sed iudicii, & sententie correctione agitur: & DD. à *Barb. citati* potius colligunt, fidem non abhibendam esse testi, qui dicit se falsum deposuisse, quamvis hoc eum limitatione accipi queat, nisi dicti sui rationem adferat, vel ex aliis iudicis constet, eum bona fide testimonium suum retractare. *Ang. Aret. Consil. 115. Tuschus concl. 277.*

Dixi admittendum esse &c. quod maxime convenit fieri, quando in continenti, & non longo intervallo se corrigit, ut DD. notant in *c. licet causam de probation. V. Bald. ibid.* Alias non deest causa suspicandi, callidè in rem suam aliquid tam longo temporis tractu machinatum esse. Quod ut minimè egerit, nos in vitium credula turbamur. Adde, si dixerit testis per verbum *Credo, vel non satis scio*, audiendum si corrigere velit, quia potest postea rei veritatem consequi *Calder. consil. 152.*

Dub. 13. An, & quomodo qui de universitate sunt, testari de ea possint?

Universitas alia est personarum, alia rerum. Hæc duplex iuris & facti, *to. iii. quo i unicuiusq; univers.* Hic pro collegio tenentur.

n 2 col.

collectione, aut societate plurium accipimus.

R. 1. Qui membrum Vniuersitatis est, testificari de eâ potest in quatuor casibus. *Primò* quando causa civilis est, & de eo quod per alias personas utpote absentes probari non potest. Talis est electio inter ipsos facta, vel reconventio, aut contractus secretus. Hæc tamen probatio non erit plena, & perfecta. *Secundò* quando aliis quidem testibus probari posset, sed soli de vniuersitate extant, & commodum vel incommodum causæ, de qua agitur, non singulos, sed Vniuersitatem ipsam concernit, ex gr. si agatur de legato aliquo proficiendis ædibus relicto. *c. Insuper. & c. Cùm nuntius h. r. Tertio*, quando alicuius de collegio vel Vniuersitate innocentia probanda est. *Quarto*, quando agitur de alicuius ex Vniuersitate delicto. Nam in eiusmodi casibus cessat suspicio nasci solita ex cohabitatione plurium. *Iul. Clarus l. 5. §. fin. Quæst. 16.* ubi notat, ut Vniuersitati crimen imputetur, non sufficere, quod totus populus, vel de populo omnes aliquid faciant, sed requiri, ut ad id præcesserit consilii publici convocatio. Hoc si non fiat, & tamen crimen fiat, eos tantùm puniendos, qui ut singuli deliquerunt: itaque serualle prætorem quendam Veronæ contra Conuentum, & fratres Sancti Francisci interfectores cuiusdam Cremonensis. Curavit enim omnes, qui ultra 50. erant, suspendi per eorum hortulanum, qui nimis erat gravatus.

R. 2. Econtra non recipiuntur testes Vniuersitatis *Primò*, quando causa civilis est, ex qua singuli commodum perci-

piunt verbi gratia si agatur de pascuis, ubi singulorum pecora aluntur, vel de silvâ, unde singuli extrahere in proprium utrum ligna solent *Franc. Marcus Parte prima questione 490. numero tertio. Secundo*, quando est causa criminalis, præsertim si tota communitas deliquisset. Tunc enim omninò reiiciuntur, ne in propriâ causâ testis pro se, aut Iudex quispiam fiat. *l. semper §. secundo Titu. Quod vi, aut clam.*

Idem ferè de Clericis dicetur. Nam primò Prælati, & Clerici alicuius Ecclesiæ in causa ipsius testificari possunt. *Secundo* Idem potest Abbas in causa Monasterii sui, similiter in illo professi. *Tertio* idem permittitur Canonici in favorem Capituli sui. Et quamvis singulorum testimonia non sint efficacissima, defectum multitudo supplere potest. *Layman. l. tertio Tract. primo cap. quarto numero quarto §. Decimo. Sanch. l. 6. Consil. cap. quinto Dist. 14. V. Barb. in cap. Insuper hoc tit.*

Dub. 14. An liceat scripto testimonium ferre?

R. Iure communi non licere, sed necessariam esse propriam vocem testificantis *Covarruvius l. 2. var. capite 13. numero sexto* posse, ait, iuratum testem scribere proprium testimonium, & ita scriptum Iudici tradere coram tabellione, etiamsi id non legat. *l. Theopompus Titul. de dote præleg.* Iudex tamen eam scripturam, cum offertur, si viderit expedire, repellere poterit, & cogere testem, ut voce testimonium absque scriptis explicet. Absolutè non esse admittendam scripturam

curam. Baldus vult in l. iurisiurandi. Tit. de test. nisi testis ipse scripta expressè legerit. Idem Lanfranc. tradit in c. Quoniam contra. de prob. Imò non posse testem per scripta testificari, & proprium exponere testimonium clare habetur in c. Testes 3. q. 9. Testes, ait Calixtus Papa per quamcunque scripturam testimonia non proferant, sed præsentibus de his quæ noverunt, & viderunt, veraciter testimonium dicant. Sed an in causis civilibus etiam reiicienda sit scriptura, nondum liquet. Vnde Glo. In causa criminali semper testes sint præsentibus: sed in civili lex vetur consuetudo regionis ut Tit. de test. l. 3. in fine. Quod etiam Gaill monet l. 1. obs. 65.

Nec obstat citata lex Theopompus, ubi Pollianus iuratus scripsisse dicitur, quænam voluntas testatoris fuerit: quia scriptio illa Theopompi non fuit testimonium iudiciale, sed simplex declaratio voluntatis, quam pater (de quo ibi agitur) habuisse asseritur de quantitate dotis præstanda. Præterea pro voce iuratus substituendam esse rogatus periti monent, quia iure Digestorum non erat adhuc cognita necessitas iuramentorum in testimoniis, ut colligitur ex l. iurandi. C. de test. Barb. in c. cit. Test. Franc. Marcus Par. 1. Decis. aur. q. 378.

Dub. 15. Quid faciendum, quando dubium est, scienter an ignoranter falsum dixerit testis?

R. 1. In causis criminalibus non recipitur dubius testis, nec quæquam momenti habet depositio ipsius ad probandum. In arduis enim, & periculosis documenta & probationes ab omni suspitione, & exceptione immunes esse

debent. l. scienti cuncti. C. de probat. l. absentem. Tit. de pœnis l. 3. s. lege tulæ. Tit. de test. c. scienti cuncti 2. q. ult. c. Epiphanius 5. q. 6. v. Damhaud. c. 50.

R. 2. Ad effectum vitandi pœnam falsi in dubio non præsumitur mala fides, aut voluntas decipiendi in teste. c. Accidens. 8. de crim. fals. At verò quoad effectum probationis etiam in civilibus potius præsumitur, testem scienter falsum dixisse, quàm ignoranter. Ita multi DD. apud Barb. in c. cit. Accidens. Ratio est, quia periculum erroris, & iniuriæ non evitat satis iudex, expartum certis probationibus ferendo sententiam condemnationis. Quod amplius confirmatur ex eo, quia testis iuramento de veritate dicenda præstito, præsumitur de illis tantum, quæ certò novit, testificari. c. Ex rescripto. De iure iur. Per ignorantiam igitur non potest excusari. Ob eandem causam obscurum ipsius dictum pro nullo habetur & à iudice ad declarationem cogi potest. Dynus in Reg. Contra eum. de Reg. iur. in 6. Maranta Par. 6. pag. 205. num. 32.

Dub. 17. An falsitas testis in uno articulo deprehensa sufficiat ad præsumendum, in aliis quoque falsum esse?

R. Aloys. Riccius Par. 2. Decis. Curia Neapol. Decisione 2. clarissimam esse iuris conclusionem in Curia Archiep. Neapol. dictum testis in una parte falsum in reliquis falsum præsumi iuxta Glo. in c. In nostra. de test. Innoc. Bald. & alios multos. Nam fundamentum attestationis est fides, quæ censetur esse individua. c. iura. 3. q. 9. & cum periurio fides violetur, tota attestatio con-

concidit. *Amplia*, ut valeat etiam in capitulis separatis, quia falsitas testis in uno articulo arguit falsas esse cæteras at testationes aliorum. Eadem quippe perituri ratio omnes æquè contingit, ita ut ex modico quoque faciat præsumptionem in maioribus & deprehensa in una causa in diversa quoque sufficiat ad repellendum testem. *Ita fere Riccius* ex communi sententia, ut fatetur *Iul. Clarus q. 53*, addens procedere, quando testis factum deposuit circa factum principale, vel qualitates substantiales; non verò si circa alia extranea. Nam in eo casu non dicitur falsus, nec vitatur illius depositio. *v. Barbos. in c. in nostra.* cum aliis multis, quos more suo coacervat.

Dub. 18. Quam pœnam meretur testis vacillans?

R. Maranta Par. 6. num. 150. à Iudice testes falsos, & vacillantes ex officio puniri posse. *Decianus vero l. 4. c. 30.* tortura subiiciendos esse. Præterea si Iudex habeat potestatem principaliter puniendi de falso, vel imponendi pœnam capitalem, poterit etiam incidenter punire: si verò eiusmodi potestatem non habet, ad superiorem Iudicem remittere debet. *Suaferim* ego perito Iudici, ut personam testis accuratè inspiciat, mentem, moresque exploret, an fortè ingenio levi & ancipiti sit an naturæ infirmæ, indeque de malitia, vel imbecillitate concludat, ac tandem pœna arbitraria emendet. *v. Menoch. Casu 108. Zangerum Tract. de Tort. c. 1. n. 14. Tuschum Cr. iusl. 333. & qua diximus §. 1. n. 12.*

TITVLVS VI.

DE REO.

REI à re nomen habent, dicunturque illi, quorum res agitur. *Cic. l. 2. de Orat. c. Forus. de verb. signif.* vel promittendo, vel stipulando, vel patièdo accusationem. Qui sibi stipulantur, rei stipulandi, qui promittunt, rei debendi appellantur. *l. 1. de duob. reis.* At qui accusantur, rei criminis, qui conveniuntur, rei simpliciter, *l. properandum §. si quidem. C. de iudic.* Ad particula-

ria descendenti bus occurrunt unius criminis & plurium rei, uel ad veritatem facti, vel secundum præsumptionem. De quibus agendum deinceps.

* *
*

§. I. De